

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
PARALYSI
SINE NERVORVM ET ARTERIARVM
LAESIONE

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICII
ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MED. SENIORE ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. VI. OCTOBR. A. R. S. CLC LXXVI.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

CHRISTOPHORVS DETLEF HAHN

HADERSLEBIA-SLESVICENSIS.

HALAE MAGDEVVRG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELIJ VIDVAE.

DISSERTATIO IN AVGVRAVIS MEDICA

DE

PARALYSI

SINE NERVORVM ET ARTERIARVM
LAESIONE

DIVINI IVANNIS AVSTRIACI

CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
IN ALMA REGIA AVSTRIACA

PRÆSIDII

VIRI ILLVSTR. EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

E. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILIS
TOTIUS AVSTRIÆ REGIS A CONSILII INTIMIS
MEDICVS ET PUBLICVS AVSTRIÆ PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIO
SACRI REGNI SENIOR ET REGIONIS AVSTRIÆ SENIOR
SACRI REGNI SENIOR ET REGIONIS AVSTRIÆ SENIOR
SACRI REGNI SENIOR ET REGIONIS AVSTRIÆ SENIOR
SACRI REGNI SENIOR ET REGIONIS AVSTRIÆ SENIOR

PROGRADV DOCTORIS

AVSTRIÆ IN MEDICINA HONORIVS ET PRIVILEGIIS
SACRI REGNI SENIOR ET REGIONIS AVSTRIÆ SENIOR
SACRI REGNI SENIOR ET REGIONIS AVSTRIÆ SENIOR

AVCTOR

CHRISTOPHORVS DETLEF HANN

HADERBERGIA-SLESVIGENSIS

HAERES MACHTELING. TYPIS JOH. CHRIST. HENDRIK VILDE





§. I.

Introitus.

Plurimi Medici causam paralyseos in nervis
affectis quaerunt.



Paralyfis, aequae ac musculorum motus, mirum sistit corporis humani phaenomenon; ad quod ergo explicandum exque genuinis causis eruendum ut omnes ingenii nervos intendamus, necesse est. At enim vetero fabricae motusque muscularis latens natura summopere hac in re grauat, ut mirum non sit, quod plurimi Medici, ni falsas, insufficientes certe, tradiderint paralyticorum affectuum causas. Exponam has, ut, quid haecenus hac in re praestitum sit, pateat. Veteres Medici quidem fere omnes *nervos* accusabant, munere suo quatumque demum ex causa non fungentes. Theoriam eorum breuibus exposuit DOLAEVS (*Encyclop. med. dogmat. Libr. I. Cap. XI. pag. 181. §. 5.*). *Vetusitas*, inquit, *hunc affectum ab intemperie frigida & humida deducit, scilicet a pituita seu excremento aqueo-seroso, quod crassius per longiorem moram est redditum, nervosque obstruit.* Quandoque ab apostemate

alioue humore neruum aut medullam spinalem obstrui, vel potius comprimi dicunt, aut frequentissime illam quoque fieri ab humoribus aquosis tenuibus, a cerebro derivatis, qui in neruorum substantiam porositatesque se facile insinuant, unde neruum minimum molles facti resoluuntur & relaxantur, & tantum humoris imbibunt, vt obstruant neruorum principium, ita, vt impediatur transitus animali facultati, quae a cerebro, tamquam primo principio, originem habet; aequè frequenter hunc affectum excitari putant a vaporibus crassis, in neruis illatis & impactis, atque obstructionem efficientibus, & saepe quidem tantam, quae spiritibus animalibus transitum denegat, unde nerui flaccidiores fiunt, & quasi concidunt. Hinc HIPPOCRATES partium resolutiones fluxionibus tribuit. Morbi comitiales, inquit, aut partium resolutiones sunt, si in loca, quae eas partes ambiunt, fluxiones inciderint, & spiritibus exire nequeuntibus exaruerint (Lib. de Rat. vict. in morb. acut. Edit. FOESII pag. 397.). Fere similia habet alio in loco (de Morb. Libr. I. pag. 447.). A pituita enim incumbente manuum & pedum resolutionem, atque vocis impotentiam deducit. Manifestius adhuc loquitur GALENVS (de Symp. caus. Libr. I. Cap. 5.) Continens, inquit, siue proxima, siue quomodocumque alio vocabulo libeat appellare, huius symptomatis (Paralysis) causa est talis quispiam in neruo affectus, cuius occasione a principio ad ipsum virtus transmitti prohibetur. CELSVS (de Medic. Libr. III. Cap. XXVII.) paralysis pariter a neruis reperit. Resolutio neruorum, inquit, frequens ubique morbus est. Sed interdum tota corpora, interdum partes infestat. Veteres Auctores illud ἀποπληξίαν; hoc παράλησιν nominauerunt; nunc utrumque παράλησιν nuncupari video. Atque PARACELSVS etiam & HELMONTIVS paralysis ex neruorum affectione oriri arbitrantur. Ille enim vapores mercuriales, guttaeque cuiusdam in neruorum

uorum

de Paralyſi ſine neruorum & arteriarum laefione. 5

uorum principia ipſosque neruos deſcenſum; hic *pituitam deſidentem & alienum ſpiritum*, ſenſitiuas partes afficientes eaſque contrahentes, accuſat (DOLAEVS l. m. c. p. 182.). WILLISVS quoque neruis adfectis vnicę paralyſin adſcribit. Patet id vel ex ſola, quam dedit, paralyſis definitione (*Patholog. Cerebr. Cap. IX. pag. 228.*). Dicit enim, *quod ſit partium neruoſarum a debita tenſitate reſolutio, ſue relaxatio, cuius ratione motus & ſenſus, nempe aut alter tantum, aut ſimul vterque, in toto corpore, vel in quibusdam partibus, debito more exerceri nequit.* Addit paullo poſt: *Partes neruoſae reſoluuntur, quia ſpiritus animales eaſ non ſatis irradiant, inſtant & vigore aſſuant. Cuius defectus cauſſa eſt, aut viarum obſtructio, qua illorum tranſitus ſue traiectio impeditur; aut ſpirituum animalium impotentia, quatenus ii vel narcoti adfecti, vel copiis minores, ſe non ſatis vegete explicant;* atque ad haec cauſſas paralyſis omnes refert, vt hinc manifeſto conſtet, eum ſolis neruis reſolutionis cauſſam adſcribere. SYLVIVS & CARTESII aſſeculae cauſſam paralyſis non minus licet neruis quaerunt, licet eam vario modo, pro ſyſtematis ratione, proponant (DOLAEVS loc. cit. pag. 183.). Neque abludit SENNERTVS (*Medic. pract. Libr. I. pag. 512.*). *Statuimus, inquit, quom a neruis muſculus omnem vim mouendi accipiat, hęcque & peculiarem ſuam temperiem & ſimilarem conſtitutionem neceſſario habeat, & vt ſpiritum animaleſ a cerebro in muſculos ferat, etiam organiceſ conſtitutionem obtineat: a neruorum, ſue in partem ipſam, quae moueri debet, inſiti ſint, ſue longius ab ea remoti & ad eam tendant, vitio & morbis omnem paralyſin prouenire.* LANGIVS (*Prax. medic. pag. 135.*) cauſſam paralyſis dependere a ſpirituum ad partes inſuxu denegato, vel ob ſpirituum defectum, vel nerui laefionem, arbitrarur. SCHENCKIVS (*Obſeruat. medic. Libr. I. Obſeru. 177.*), FERNELIVS (*Medic. vniuerſ. p. 525. 526.*),

HOFFMANNVS (*Medic. system. ratio.* Tom. IV. P. IV. Cap. I. pag. 16. §. I.), CARTHEVSERVS (*Fundam. Patholog. & Therap.* Tom. I. pag. 260. 261. §. V.) aliique, quos breuitatis causa filentio praetermitto, nervos laesos pro vnica paralyseos causa habent & venditant. Quare plurimi Medici, quod hinc patet, paralyticam membrorum affectionem nervorum morbis tribuendam putarunt.

§. II.

Causae paralyseos aliae.

Non defuerunt interea vel inter Veteres, qui aut plures paralyseos causas coniunxerint, aut alias, reiectis nervis, attulerint. AVICENNA iam causam huius affectus in peculiari Capite delineat ita: *Destitutio sensus & motus fit, quoniam spiritus sensibilis vel motuus aut retinetur a penetratione ad membra, aut penetrat, sed non suscipitur eius impressio, propter complexionis corruptionem.* Videtur ergo AVICENNA non solos semper nervos, sed membra etiam quandoque ipsa eo in affectu accufare, quod SENNERTVS quoque l. c. innuit, dum, *hinc*, inquit, *plerique doctiores Medici de causis paralyseos ita sentiunt, quod facultas influens (rectius spiritus influens) vel non transmittitur, ob morbum nervorum eum deferentium, vel non suscipitur, licet influat, membri recipientis vitio.* RIVERIUS (*Dissert. med.* pag. 553. seq. §. 17.) praeter spiritus & nervos musculorum vitia inter paralyseos causas refert. Nam, *triplici*, inquit, *modo laedi potest motus, nempe spiritu, musculorum, nervorum culpa.* Recenser dein (§. 19.) haec musculorum vitia, eaque tam in dissectione musculi, quam in effusis humoribus serosis viscidisque, quibus carnes ad motum plane ineptae reddantur, ponit. BOERHAAVIUS (*de cognosc. & cur. morb.* Aphorism. 1058.) duplicem notat paralyseos causam, *impeditum* nempe *fluorem liquidum*

liquidi neruosi a cerebro in musculum paralyticum, vel liquidi arteriosi in eundem, quem semper causfam huius mali proximam esse dicit. Elegantius adhuc de paralyfi causfa differit in Praelect. de Morbis neruor. pag. 688. 689. Haec impotentia, inquit, motus muscularis, est ablatio causfae physicae, quae musculum exercet; haec causfa est duplex, vel delata ad musculum, vel praerequisita in musculo: causfa delata ad musculum est motus liquorum, qui deferuntur per cor, nam ad omnem motum muscularem cor opem adfert per arterias; vel per neruos, ex cerebro, cerebello, vel medulla spinali oriundos: in ipso musculo requiritur fabrica bona in omni sextura; ergo in arteriis omniis generis ad ultimas usque, requiritur distributio neruorum per musculos ad omnia puncta; requiritur fibrarum muscularium illa diathesis, quae potest accurtari a vi influentis fluidi; haec omnia si praesto fiat, quotiescumque volumus, fiunt motus musculares, & spontanei musculi etiam agunt. Quoniam nunc paralyfi est impotentia insuperabilis exercendi hunc motum, videtis, quod eius causfae referri debeant ad causas aduehentes motum, vel ad ipsum organum. BOERHAAVIUM plures securi sunt, quos recensere superuacuum esse duco. GAVBIUS omnia ad paralyfi causas refert, quae aut ipsam extinguunt virtutem motricem (qua irritabilitatem intelligit), aut conditiones saltem tollunt, sine quibus illa in motu consentaneos excitari nequit (Institut. Pathol. §. 753.), quorsum fibrarum muscularium non minus, quam neruorum labes refert. Illustris demum EBERHARDVS proximam statuit paralyfi causfam vel impeditum influxum fluidi neruei, vel imminutam cohesionem partium fibrae elementarium (Conspect. Medic. theor. P. II. pag. 440.). Atque hi omnes, quorum mentionem inieci, Viri, neruorum vitia tamquam paralyfi causfam admittunt. Illustris autem b. m. STAHLIVS Theor. med. ver. Part. II. Sect. III. Membr.

Membr. IV. pag. 914.) id quam maxime negare videtur. *Illud certum est*, inquit, *quod etiam secundum antiquam hypotesin, qua totum vitium nervis & animalium spirituum influxui denegato imputatur, non cum veritate satis conveniat.* Ipsam potius paralyseos causam proximam, in tonici vitalis motus ingenti remissione quaerendam esse statuit (l. c. pag. 913.), quam dein a sanguinis motibus inordinatis repetere videtur, cui *Illustr. b. m. IVNCKERVS* taedium & fastidium Naturae (*Conspect. Therap. spec.* pag. 891.) addit.

§. III.

Notio paralyseos eiusque causa proxima proponitur.

Ex allatis §. I. II. luculentissime apparet, plurimos Medicos paralyseos causam vel in solis nervis, vel in affectis arteriis, ad musculum tendentibus, vnicè quaerere. Quod quam parum veritati consentaneum sit, ex iis patebit, quae in praesenti Specimine demonstranda suscepi. Ne vero a recto veritatis tramite aberremus: definitio paralyseos praemittenda erit, atque id ita, ut eius veritas cumque usu loquendi consensus pro necessitate corroboretur. Fier id, si sequentia notentur: **I. Omnis paralyseos ponit muscoli aut fibrae muscularis affectionem.** Docent id definitiones, quas suppeditarunt Medici, quasque recensere superfluum foret, quum a quolibet conferri facile possint. Atque licet quidam de *neruorum paralyseos* loquantur, quando, superstitè motu musculari, partis insensibilitatem adesse deprehendunt (*van SWIETEN Commentar. in Aphorism. BOERHAAVH Tom. III. §. 1057. pag. 350.*): non licebit tamen ideo paralyseos ad nervos adplicare, quum plurimi, quos sequi oportet in condendis definitionibus, fibris mere muscularibus paralyseos adscribant. Pulcre id confirmatur **ARETAEI** effato, quod habet *Perillustr. van SWIETEN l. c. Paralyseos*, inquit, *motus tantum*

de Paralyfi sine nervorum & arteriarum laefione. 9

tum est actionisque defectio: quodsi nonnumquam solus tactus deficiat (rarum autem hoc est), potius insensilitas (diva & nota), quam paresis nominatur. II. In omni paralyfi adest motus fibrarum muscularium impotentia, i. e. fibrae musculares vel plane non agunt, vel statu naturali longe minus. Conf. Perillustr. van SWIETEN l. c. pag. 349. BOERHAAVE de Morb. nervor. pag. 687. 688. qui duo memorabilia refert paralyseos, a graui stimulo solutae, exempla, vt pateat inde, sub paralyfi agere posse musculos & fibras musculares, ita tamen, vt ea actio statu naturali longe sit minor, quum demum a grauiori impetretur stimulo. III. Ea tamen impotentia cum flexibilitate partis coniuncta esse debet. Monet enim BOERHAAVIUS (l. m. c. pag. 681.), esse errorem ingentem, tam in Theoria, quam Praxi, si ita vocarentur omnes morbi, in quibus musculus non potest moueri, vbi tamen laxantia, humectantia & debilitantia conueniant. Nonne ergo motus impotentia, a contractione proficiscens, quam maxime separari a paralyfi debet? Nonne idcirco haec flexibilitatem partis iunctam habeat necesse est? IV. Neque porro impotentia ista vel a causa externa, v. g. ligatura, vel ab imminuta vi musculi elastica & cohaesionis proxime prouenire debet. Si enim a causa externa proxime musculus agere cesset: nullum adest symptoma morborum, quale tamen paralyfis concipitur semper. Atqui si virtus musculi cohaerentiae aut elasticae motum illius impediat: atonia quidem, minime vero paralyfis adest. V. Quocirca omnis paralyfis ponit vim musculorum insitam seu irritabilitatem deletam, aut valdopere imminutam. Docet id non solum experientia, qua scilicet constat, fortissimos stimulos, v. g. scintillam electricam, parum aut nihil paralytici musculos afficere; sed patet id etiam ex num. II. & IV. Omnis enim musculi contractio ab eius vel elasticitate, vel cohaesione, vel irritabilitate

pendet. Nunc vero adest sub paralyfi motus impotentia (n. II.), atque sine impedimento externo, & elasticitatis atque cohaerentiae laesione, quae causa paralyfis proxima esset (n. IV.). Debet ea propter irritabilitas aut delera, aut valde pere imminuta (n. II.) paralyfin producere. Hinc iam *paralyfis* vera idea nascitur. Est nempe flexilis motus muscularis impotentia *maior*, ab imminuta aut plane delera vi musculi vitali *proxime* oriunda. Sponte inde causa proxima patet.

§. IV.

Causae paralyfis remotae.

Nunc si paralyseos causa proxima in irritabilitatis siue defectu, siue torpore quaerenda sit (§. anteced.): sequitur, causam huius mali remotam omne id fore, quod vim musculorum tollere, minuere valet. Quae vero huc pertinent quum debeant ex causa irritabilitatis deduci, haec autem non omnibus explorata habeatur, ut pauca de ea afferamus necesse est. Arque hic quidem manifestum fere est, causam irritabilitatis tam a nervorum, ad muscolum tendentium, efficacia, quam a glutinis muscularis actione determinataque natura reperendam esse, quam etiam huius virtutis originem casta observata mixtice confirmant. Possumus scilicet ad inuestigandam irritabilitatis causam ita concludere: Agit haec potentia adhuc a morte, quod experientia HALLERVM saepe saepius docuit. Illius itaque causa non in anima, sed in musculo ipso quaerenda, idque eo magis, quo certius est, quod soli musculo, omnibus reliquis partibus solidis exceptis, competat. At enim vero habet musculus cellularem, tam crassiolem, quam tenuiorem, habet vasa fibrasque musculares, quibus omnibus fluida varia, adeps, lympa, sanguis, fluidum nerveum accedunt. Cuiusnam quaevis harum partium inexistet irritabilitatis causa?

Non

de Paralyfi sine neruorum & arteriarum laefione. II

Non fluidis certe recensitis, utpote quae ab omni irritabilitate quam maxime sunt remota. Neque etiam vasis variis & cellulosaë; nam haec aut nulla gaudent, suadentibus id observationibus, irritabilitate, aut eandem tunc demum ostendunt, quando fibris muscularibus sunt instructa, quod de arteriis vasisque lymphaticis valet, ut prius de venis, neruis & cellulari. In fibris idcirco muscularibus lateat irritabilitatis causa necesse est. Hoc detecto, ulterius pergendum. Queritur nempe, qua fiat ratione, ut fibrae praedictae irritabilitatem producant? Notum est, omnem corporis humani fibram ex glutine partibusque terrestribus constare. Hae quum in musculo non sint diuersae, huic tamen parti solum vis, insita dicta, tribui debeat, causam irritabilitatis constituere nequeunt. Gluten ergo musculare, ob diuersam ab aliis omnibus partibus muscoli cohaesionem, summopere diuersum (quam diuersitatem commixtio fluidi neruei cum glutine, soli musculo cum neruis propria, auget), causam irritabilis muscoli naturae suppeditabit. Compositam ergo illius causam esse arbitramur, ex definita glutinis muscularis densitate atque ex fluidi neruei cum glutine isto commixtione oriundam. *Densitatis praedicti glutinis* rationem habemus, quod in neruis fluidum quidem nerueum, absque tamen irritabilitate, cum glutine commisceatur; *fluidi autem neruei commixtionem* respicimus, quod partes, irritabilitate destitutae, dentur, quae nihilominus, quod cohaesionem, hinc glutinis densitatem, arriuer, propius ad musculum accedunt. Possem nunc ex dictis ortum irritabilitatis, eiusque phaenomena deducere; quoniam vero id ab instituto meo est alienum, in comprobatis acquiesco, omnia etiam omittens, quae ex statu tam sano, quam morbofo, ad corroborandam meam de causa irritabilitatis sententiam adducere possem.

§. V.

Diuisio istarum causarum.

I. Ex vitio neruorum ortae.

Quodsi vero nunc causa irritabilitatis in commixtione fluidi neruei cum glutine musculari sita sit (§. anteced.); paralysis autem, vt §. III. euictum dedi, deletam aut valdopere imminutam vim insitam musculorum, tamquam proximam causam, agnoscat: nullum erit dubium, quin duplicis speciei dentur causae illius remotae, quarum quae ad vnam pertinent *fluidum nerueum*, quae ad alteram, *gluten musculare* ipsum respiciunt. Erit iam de vtraque specie paullo accuratius dicendum, vt & omnes habeantur paralysis causae, & pateat, eam sine neruorum & arteriarum laesione euenire posse. Ordiam vero a *neruorum & fluidi neruei vitiis*, quorsum omnia pertinebunt, quae aut commixtionem fluidi neruei cum glutine musculari impediunt, aut hanc commixtionem quidem permittunt, at fluidum nerueum ita corrumpunt, vt muneribus suis fungi non possit. Quod priora attingit: pertinent huc 1) quaecumque *transitum fluidi neruei per neruos ad musculum impediunt*. Hinc causa premens, vim suam in neruos fibrasque medullares exferens, siue nunc in nerui & vasis cellulari, siue in cerebro, cerebello & medulla spinali, siue in locis neruo sat vicinis contineatur, paralysis inducet. Causae prementi alia quaecumque, simili ratione agens, substitui potest, v. g. discissio, concretio, languor insignis, &c. Numquid etiam huc *neruorum obstructio*, in fibris nempe medullaribus eorum oriunda, reuocanda? Iure ea de re dubitare licet, quum ostia neruorum adeo certe subtilia sint, vt crassior materia in iisdem subsistere posse vix videatur. 2) Quae *copiam fluidi neruei nimium innuunt*, siue

ſiue nunc materia, a qua ſecerni debet, deficiat (v. gr. poſt enormem motum animale, vigiliis, & ſic porro), ſiue, præſente licet ea, ſecretio impediatur, quod v. g. in congeſſionibus ſanguinis verſus caput haud raro accidit. Quod dein poſteriora neruorum vitia, ea ſcilicet, quæ corruptum fluidum nerueum ponunt, ſpectat: huc forſitan vapores aëris maligni, carbonum, ſulphuris, &c. immo ipſæ fluidorum noſtrorum acrimoniae quaedam referri poſſunt.

§. VI.

Dubium ſoluitur.

Atque hæc, quæ de neruorum vitiis attuli, fidiffimæ etiam obſeruaciones confirmant, qua de re conf. *Illustr. HALLERI Element. Phyſiolog. C. H. Tom. V. pag. 332. ſeqq.* Poſſet interea dubium moueri, quod magnam ſpeciem habere videretur. Allegat ſcilicet *Perilluſtr. van SWIETEN* loc. cit. pag. 350. tres obſeruaciones, quæ, plenariam partis inſenſilitatem cum motu ſuperſtite adſuiſſe, reſtantur. *In milite*, ſic loquitur, *obſeruata fuit perfecta abolitio ſenſus in toto brachio ſiniſtro, ſuperſtite expedito motu omnium muſculorum, ita, vt arma tractare hoc brachio potuerit, licet digitorum combuſtionem ad oſſa uſque nullo modo ſenſerit.* (Memoir. de l'Acad. des Scienc. l'an. 1743. pag. 127. & 130.) *Similem inſenſilitatem in celeberrimo Medico obſeruata fuiſſe in digitis vtriuſque manus, eodem loco legitur.* Longe adhuc mirabilior obſeruatio habetur (SENAC de la Structure du Coeur Tom. II. pag. 291.) *de homine, cuius vnum brachium omnino paralyticum erat, ſuperſtite ſenſu acutiſſimo: alterum vero brachium omni carebat ſenſu, ſed motu naturali gaudebat.* Videretur ex his ſimilibusque obſeruacionibus (conf. *Illustr. HALLERI Element. Phyſiolog. corp. hum. loc. cit. pag. 390. n. p.*) mani-

manifesto apparere, facultatem sentiendi in musculo plenarie destrui posse, licet nulla adsit paralyfis. Quoniam nunc sentiendi facultas in musculo, neruorum, ad eum tendentium, integritati liberrimoque fluidi neruei motui innititur: sequitur, fluidi neruei ad musculum iter tolli posse, licet motus superstes sit. Nonne id iis contradicit, quae §. anteced. adduximus? Quam difficultatem vt soluat BOERHAAVIUS (*de Morb. neruor.* pag. 714.), ad neruorum in *sentientes & mouentes* distinctionem recurrit, putatque, neruum motorium esse posse, quamuis non sit sensorius; quare non mirandum, quod, delero etiam sensu, motus membrorum superesse queat. Statuit dein (loc. cit. pag. 716. 717.) cum RVYSCHIO, neruos sentientes esse mucosos & diffuentes, ad motum vero destinatos in sua origine duros, ad musculum etiam euntes in itinere cultro anatomico mirifice resistere durosque esse ad finem vsque, donec euanescant; vnde colligit quidem, quod vna pars facilius laedi possit, quam altera, & quod vna laedi possit, illaesa altera. Speciosa theoria, antiquitati paullulum iam nota (HALLER loc. cit. pag. 389.), quum phaenomena non inepte explicare videatur, haud leui applausu fuit excepta, quam tamen *Illustr. de* HALLER loc. cit. refellere studuit. Concedit equidem (atque id etiam facile largiri possumus) neruos sensorios dari, qui non mouent; addit tamen (loc. cit. pag. 391.): *verum nullus, quod ego novim, neruus datur, qui moueat, neque sentiat vna.* Nam nerui iidem, qui digitorum *pul-pam sensorii* aduunt, illi musculos digitorum ad motum incitant. *Neruus quintus papillas gustatorias* adit, sed idem in musculos bene multos distribuitur. Atque certe Anatomico exercitato, Viro tot experimentis laboriosis, quae instituit, claro, credere fas est. Videtur quoque id, quod nerui motorii a sensu sint alieni, ipsi rationi repugnare. Sensus enim, quate-

quatenus ad corpus pertinet, foli debetur nervi naturae. Nunc vero nervi tam fenforii, quam motorii, eundem agnoscunt ortum, omnes enim sunt propagationes medullaris substantiae. Nonne ergo vtrisque eadem natura, qua ad generandam fenfationem apti euadunt, indita esse debet? Sed vrages forsitan hoc: Nervorum motoriorum motus a fenforio communi ad musculos, fenforiorum ab organo fenforio ad commune fenforium propagatur; motus hi non possunt in eodem nervo sibi e diametro oppositi fieri; debent itaque fenforii minime motorii, motorii minime fenforii esse. Respondeo autem ad haec: 1) Nervus vehementius irritatus vno eodemque temporis momento & dolorem, & motum infert; manifesto documento, quod isti, qui impossibiles statuuntur, contrarii motus in nervo euenire queant. 2) Concessa etiam obiectione, id assumi tantum potest: non posse vno eodemque temporis momento neruum motorium fenfationes cum motibus producere. Numquid vero hinc inferri debet, nervos motorios non esse posse fenforios? Minime id quidem. Sicuti (vt crassiore exemplo vtar) motus intestinorum peristalticus *modo* sursum, *modo* deorsum tendit; vterque tamen quod fiat, minime negari potest: ita nervorum, qui ita audiunt, motoriorum motus *modo* a fenforio ad musculos, modo ab his ad fenforium commune tendere possunt. Si hoc; fenfatio: si illud; motus orietur. Vtrumque ergo in nervo motorio contingere potest, licet (si omnia nimium liberales concedamus) diuersis temporibus. 3) Pone, stimulum quemdam applicari nervo motorio: punctum quoddam & cogitare poteris, cui admouetur stimulus. Nunc illud, medium quasi, cohaeret cum aliis duobus B & C, quorum illud propius fenforio communi, hoc musculo. Motus ergo (quum in nervo ab vno puncto ad alterum tendat) ab A tam ad B, quam ad C
conti-

continuari debet. Prior sensationem, posterior motum muscularem efficit. Num ergo recte ob contrarios motus dubitamus, in nervo motorio sensationem nullam obuenire posse? Satis id quidem ex dictis perspicitur, atque haec passim ad nervos etiam sensorios, quos ob propriam naturam motorios esse non posse male affirmatur, applicari possunt. Cadit ergo BOERHAAVII explicatio, qua usus est. At aliud adhuc vitium! Censet quidem, ut vidimus, nervos motorios duriores esse sensorii, hincque fieri, ut his laesis illi nihilominus integri esse, suumque munus praestare possint, atque ea ratione sensorio, superstite integerrimo motu, deleta esse queat. Concedamus BOERHAAVIO, nervos motorios duriores esse (quod tamen, notante LAURENTIO in *Histor. anat. corp. hum.* Libr. V. Quaest. X. pag. 115. contra GALENUM, aliisque idem testantibus, quos HALLERVS habet loc. cit. pag. 391. n. 5. a veritate abhorret): nonne, quod ipsemet magnus Vir innuit, sequeretur, nervos motorios sensorii difficilius affici, atque illis affectis hos facile, his affectis illos difficilius longe adfligi debere? Nihilominus frequens est, motum destrui sensu superstite, rarius autem, motu superstite sensum deficere (HALLERVS loc. cit. pag. 390.). Neque poterit ergo BOERHAAVII explicatio admitti. Aliam, iam longe ante BOERHAAVIUM, huius rei explicationem dedit LAURENTIVS (l. cit. Quaest. XI.): *An possit, inquit, illaeso motu sentiendi vis in eadem parte extingui, dubitatione non caret; non enim rationi consentaneum videtur, deficiente infirmiore, nempe sensatione, validiorem seruari, mouendi quippe functionem. Dico igitur, si distincta sit nervorum insertio, posse id quidem fieri, sed in vno eodemque nervo numquam. Potest, exempli gratia, in manu laedi sensus, superstite motu, quia nervi unius variae sunt propagines, alia portio in cutem, alia in musculos disseminatur;*

si,

fi, quae in cutem fertur, sola afficiatur, peribit sensus cutis, superflite musculi motu: ut in Pausaniae historia docet GALE-
NVS. Admitti sine dubio potest rationi adeo conformis ex-
plicatio; non omnia tamen illam absoluere, casus, quos recen-
sui, aliquo modo adhuc ostendere videntur. Combustio cer-
te membri affecti ad ossa vsque sine dolore, cum ea, quam
innuit LAURENTIVS, explicandi ratione conuenire non videtur,
vtpote quae semper ponit, vt in musculo sensus supersit, qui
tamen abesse debet, quando eiusmodi combustio sine dolore
fertur. Atque eadem difficultas premit Illustr. HALLERI sen-
tentiam, quam loc. citat. affert: *Si quando, inquit, vere artus
aliqui insensiles fuerunt, cum motu superflite, vitium in cu-
te crediderim fuisse, & possis accusare epidermidem nimis
callosam, aut cicatricibus foedam cutem; aut nervorum ul-
timi ad pulsam digiti euntes ramuli potuerunt callescere, dum
truncus nervus sua integritate gaudebat, qua motum exci-
tat.* Rationi haec optime respondent; at indolentia sub com-
bustione ad ossa vsque, in exemplo, a Perillustr. van SWIE-
TEN allato, nondum inde explicatur. Qua ergone illa ex-
plicabitur ratione? Credo quidem hac. Notum est, muscu-
lum vi vitali totum sese contrahere, quando vel vnicum pun-
ctum irritatur, atque id vel a morte contingit. Quare in vi-
uo corpore musculus moueri poterit satis apte, quamuis per
nervos, aut aliam quamcumque causam irritantem non in
omni, sed in paucioribus irritatur punctis. Fac ergo, ten-
dere ad musculum sex v. gr. fibras nerueas: poterunt quin-
que munere suo non fungi, absque tamen eo, vt motus des-
inat, modo sexta satis integra sit, atque musculi irritabilitas
nondum perdata fuerit. Sensatio autem in omnibus illis pun-
ctis musculi, ad quae quinque illae fibrae abeunt, tolli de-
bet, quae itaque si comburantur, scindantur &c. plane insen-
silia

filia erunt. Hinc ergo, arbitror, atque ex iis, quae LAVRENTIVS & HALLERVS, & ante hunc DIEMERBROECKIVS (HALLERVS loc. cit. pag. 299. not. t), suspicati sunt, insensibilitas ista, motu superfluo praefens, intelligi poterit, iis salvis manentibus, quae §. anteced. assumfi. Atque de hoc iam fatis.

§. VII.

II. Ex glutinis muscularis vitio.

Verum absque neruorum laesione praesente poterit paralysis oriri, si gluten scilicet musculare illa conditione careat, qua ad producendam irritabilitatem concurrit (§. IV.). Huc ergo referatur 1) *glutinis defectus*. Is enim si adfuerit, causa irritabilitatis minuitur nimium. Nonne hinc irritabilitas ipsa minui debet? Haec sine dubio potens est causa, qua fit, ut a discissis, compressis arteriis, paralysis eueniat. 2) *Cohaesio illius nimis parua*. Diximus enim (§. IV.), ad producendam irritabilitatem iusta & determinata opus esse glutinis muscularis cohaesione. Non poterit ergo non irritabilitas valdopere minui, quando glutinis istius cohaesio nimis parua euadit. Hinc pingue copiosum, aqua calida, paralysis efficere queunt (BOERHAAVE *Aphorism. de cogn. & cur. morb.* §. 1060. & van SWIETEN *Commentar. in h. l.*). 3) *Corruptio, qua motus glutinis impeditur*. Ex consideratione nempe agentis irritabilitatis, eiusque cum palpitatione muscularum conuenientia, pater, oscillationem fibrarum muscularium adesse, quando vis vitalis seu irritabilitas agit, gradu tamen longe maiori, quam in palpitatione. Vnde colligere licebit, glutinis muscularis tremorem vitae seu agentis irritabilitatis causam esse, atque ideo ad vim vitalem dispositionem glutinis ad ineundum tremorem requiri; quod confirmatur, si perpendi-

pendimus, vim vitalem tanto esse in animali corpore maiorem, quo facilius gluten tremit, vt in iunioribus (HALLER loc. cit. pag. 464.). Nunc si ponas, hanc dispositionem euanescere, quod forsitan a putrido, vaporibusque variis fieri potest, nonne paralyfis inde orietur (§. III.)? An hinc etiam oritur insignis illa virium prostratio, quam in vere putridis febribus obseruamus? Numquid ob eandem causam opiata, & narcotica alia, paralyfin inferre valeant? 4) *Degeneratio plenaria.* Adducit Perillustr. van SWIETEN, ex SALZMANNI Dissertat. & *Journal des Scavans*, cruris paralytici exemplum, in quo maxima pars musculorum degenerauerat in substantiam informem, similem illi, quae in steatomatibus deprehendi solet. Elucefcit inde, a degenerante glutine paralyfin oriri posse, quod mirum non est, quum certa, vix vero exacte determinanda, glutinis natura ad irritabilitatem requiratur (§. IV.). 5) *Siccitas illius.* Quando enim aqua in glutine deficit, tunc parti solidae propius accedit, neque in motus facile abripitur; vnde paralyfis (§§. III. IV.). Hinc forsitan inter alia fit, vt post validissimum musculorum motum paralyfis eueniat, quae tamen aliunde quoque oriri potest. 6) *Distractio dentum fibrarum violenta, diuturna,* vnde glutinis cohaesio nimium imminuitur (n. 2.).

§. VIII.

Quamquam ergo paralyfis ex laefione neruorum & arteriarum oriatur, poterit tamen absque ea contingere.

Quum itaque paralyfis oriri queat ex causis, quas modo recensui (§. anteced.); iis autem praesentibus, nerui ad muscolum tendentes non necessario adficiantur: sequitur, paralyticos affectus saepe saepius quidem a neruorum laefione

oriri (§. V.), posse autem quoque gigni, nullo nervorum vitio praegresso. Atque idem iudicium ferendum de arteriarum, ad musculum fluida vehentium, vitio. Si quacumque ex causa impediuntur, quo minus sanguinem ad musculum vehant; aut ita afficiantur, ut nervos premant distentae: poterit quidem inde nasci paralysis causa, glutinis nempe defectus, illius siccitas (§. anteced.), fluidi nervi defectus (§. V.); quam vero cohaesio musculi parva, corruptio glutinis, degeneratio musculi plenaria sine omni antea praesente arteriarum vitio enasci queant (quod, quum cuicumque pateat, nulla demonstratione eget), non possumus non exinde concludere, dari paralyses, quae neque nervorum, neque arteriarum vitii debentur. Optime haec perspexit Perillustr. van SWIETEN. In *Commentar.* enim ad Aphorism. 1058. in quo adfirmat BOERHAAVIUS: *causam paralyseos proximam semper esse impeditum suorem liquidi nervosi a cerebro in musculum paralyticum, vel liquidi arteriosi in eundem*; praeter haec vitium degenerantis fabricae musculosae ad paralyseos causas refert. Quid? quod (ad §. 1059.) pulcre ostendit, quantum laxitas fibrarum muscularium ad paralysem conferat. *Videtur*, inquit, *admodum probabile, quod in fibris muscularibus possit fieri tanta laxitas, ut officium suum praestare nequeant: musculus enim agens tumet & turget, dum ab encéphalo per nervos causa muscularis motus influit: hinc requiritur debita resistentia laterum in minimis his vasis, ut veniti possint impulso fluido, caeteroquin elongarentur potius, quam distenderentur; talem autem nimiam flacciditatem vocaverunt Medici atoniam musculorum. Sic & observamus in robustissimis hominibus firmam admodum carnem musculosam, in debilibus vero flaccidam. Ideo etiam, si musculi quidam corporis a colluvie aquosa, vel balneis nimis diu macerati fuerint,*

fuerint, perdunt vires suas, & faepe penitus paralytici fiunt. Sic afeitidem aliquando fequitur funefto lienteria, dum inteftina, diuturna maceratione quafi tabefacta, robur fuum amiferunt. Atque ipfe etiam BOERHAAVIUS, licet, vt vidimus, in Aphorifm. de cognofc. & curand. morb. cauffas paralyteos adeo restringat, alio tamen loco (*Praelect. de Morb. neruor.* pag. 702. feqq.) de atonia, balneis & hydrope eadem plane ratione iudicat, vt Perillufrem van SWIETEN cogitata BOERHAAVII fua hic feciffe non leuis nafcatur fufpicio. Quidquid interea fit, manifeflum eft, BOERHAAVIUM non minus, quam Perilluftr. van SWIETEN, rei veritate coaftos, concessiffe, paralyfin non folum ex impedito fluidi neruei fanguinisue ad mufculum tranfitu, fed etiam ex degeneratione mufculi eiusque atonia, hinc sine neruorum arteriarumque laefione, oriri poffe. Poterit interea ex §. anteced. vt ex eo, quod corruptum fluidum nerueum paralyfin inducere valeat, concludi, ne has quidem cauffas fufficere, quas fummi illi Viri propofuerunt, quum aliae non minus potentes & graues fuerint, a quibus paralytica partium affectio prouenire potest.

§. IX.

Confirmantur haec.

Vt vero pateat, quam pulcre haec cum ipsis obferuatis conueniant: ea per exempla confirmare licebit. Atque primo quidem notum eft, vehementem mufculi motum in paralyfin demum abire poffe, idque non raro vere accidere. Hanc certe paralyfin non apte a neruorum, aut arteriarum vitio deducimus, quamuis concurrere forfitan poffit. Vera potius illius cauffa in fumma fibrarum mufcularium atonia quaerenda eft, quae, vt id in qualibet fibra nimium tenfa obferua-

feruamus, ab enormi contractione fibrae musculari inferitur. Idem porro confirmatur, quando perpendimus, subiecta tanto esse ad paralyfin procliuiora, quanto maiori laborant fibrarum laxitate, quod de hydropicis, phlegmaticis, obesis, abusum calidae, balneorum admittentibus, maxime valet: quo certe in casu ad neruos aut arterias laesas recurrere non opus est. Paralyfis *dein*, quae *scorbutica* dicitur, dictorum veritatem de nouo comprobatur. Licet enim lubens fatear, fieri posse, ut eiusmodi paralyfis aut a neruis, aut ab affectis arteriis oriatur (sanguis enim grumofus arterias obstruere, neruos comprimere valet): posse tamen eandem sine eiusmodi laesione nasci, pulcre ipsemet ostendit Perillustr. *van swieten* (loc. cit. §. 1151 Tom. III. pag. 616.): *Si consideretur, in cadaueribus pessimo scorbuto defunctorum cerebrum sanum repertum fuisse, uti antea dictum fuit, videbitur admodum probabile, scorbuticam illam paralyfin non adeo pendere ab encephali & neruorum vitio. Sectiones autem cadauerum docuerunt, ligamenta erosa, epiphyyses solui ab ossium reliquo corpore, ipsos musculos, sanguine nigro & putrido madidos, dum attrectabantur manibus, in frustra dirumpi, qui in sanis hominibus adeo firmi sunt. Haec certe sufficiunt ad impediendum membrorum liberum motum.* Nolo haec omnia mea facere, quum impotentiam motus, ab erosis ligamentis & epiphyseis solutis pendentem, paralyticis affectibus iure accenseri posse non credam (§. III.): sufficit tamen mihi, in scorbuticis adeo substantiam musculi laedi, ut ex hic vel sola paralyfis oriri possit. Quum interea *EGALENVS* in pulcherrimo, quem conscripsit de Scorbuto, Tractatu notet, haud raro intra breuissimum temporis spatium eiusmodi, quae a scorbuto prouenit, paralyfin curari, id impedit, quo minus grauem eam musculi laesionem pro constanti habeamus paralyfis causam. Quis enim isti, si vnam,

quam, intra breue medebitur tempus? Aliud, quod dicta confirmat, testimonium praebet insignis illa virium prostratio, quae febres vere putridas praecedit, comitatur. Nouimus, quam prope illa ad paralyticam debilitatem accedat! Quodsi ergo euincatur, eam etiam ex affecta musculi natura oriri: nonne concludere hinc poterimus, paralyfin non semper ab affectis nervis arteriisue pendere? Numquid vero certo certius eiusmodi debilitas musculo, non nervis aut arteriis debetur? Nervis ex parte adscribendam esse, nullus dubito, bene gnarus, quantum nervorum robur putredine praesente deprimatur. Quum interea ea ipsa putredo mirifice mutet fluidum quoduis corporis humani, latiusque serpens solida quoque: vix dubitare possumus, quin summa ista, quam dixi, virium prostratio, cum febribus putridis connexa, magna ex parte mutato glutini musculari accepta referenda sit. Quod certe confirmatur, quando perpendimus, in febre putrida demortuis haud raro in musculis aliisque solidis plane easdem mutationes observatas esse, quas in scorbuticis detectas notauimus. Atque idem de paralyfi a mercurialibus, opiatis, dicendum. Vtrumque corpus fluida soluit, hinc gluten quoque, quod musculis inest. Nonne ergo hoc ab usu horum aut medicamentorum, aut venenorum, talem subibit mutationem, qua ineptum ad producendam irritabilitatem redditur? Paralyfis etiam sequitur Veneris abusum. Nonne deperdita nutritio ad eam efficiendam concurrat? Demum multa suadent, in Colica saturnina perditam esse irritabilitatem intestinorum. Sed siccitas intestinorum, ut causae huius Colicae docent, eam inducit. Poterit ergo abinde paralyfis induci.

§. X.

De curatione eiusmodi paralyfis.

Quod methodum curandi eiusmodi paralyfin attinet, quae neque a neruorum, neque ab arteriarum vitis nascitur: nihil fere est, quod adiciendum habeam, quum ab ea non differat, quae diu iam a Practicis laudata atque confirmata est. Pro causae diuersitate (§. VII.) ipsa illa diuersa esse debet. Quare I. si defectus glutinis paralyfin inducat: nutriencia, fuga causae istiusmodi defectus, aut eius correctio & ablatio utramque faciunt paginam. II. Si minor eius adfuerit cohaesio: roborantia, fluida condensantia adhibenda sunt, atque morbus, aut symptoma fugandum, a quo forsitan minor illa pendet cohaesio. III. Si corruptio glutinis occurrat: ea Cortice Peruaniano, acidis aliisque, pro re nata, corrigenda erit. IV. Si siccitas adfit: ea oleosis blandis, humectantibus, lacte tollenda. Reliqua vel curationem non admittunt, vel ex dictis intelliguntur.

§. XI.

Epilogus.

Addenda his forsitan essent nonnulla de vi machinae electricae, quum multum ea de re, nostris maxime temporibus, in utramque partem disputatum sit. Verum laboris otium mihi fecit celeberr. TISSOT, qui pulcherrime de hac materia disseruit in Epistol. ad HALLERVM *de Variolis, Apoplexia & Hydrope*. Lausan. 1761. pag. 163. seqq. In siccitate & humiditate glutinis quam optime se se geret. In reliquis vel incassum adhibebitur, ut in degeneratione musculi, vel nocebit etiam, v.g. in paralyfi a Venere nimia. Atque hic scripturiunculam hancce finio.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
 CHRISTOPHORO DETLEF HAHN
 SYMMOS IN MEDICINA HONORES CAPESENTI

S. D. P.

IOANNES NICOLAUS WEISSER, DISSENTIENS.

Magnum humanitatis, magnum, VIR PRAENOBILISSIME, amicitiae atque amoris in me TVI est argumentum, quod inter eos, quos honorifico dissentientis munere TVAM contra Dissertationem inauguralem fungi vis, & me coopartare TIBI placuit. Itaque non possum non TIBI vehementer gratulari mihique plurimum gaudere; TIBI, qui tam brevi tempore tantos in arte salutari feceris profectus, ut ab illustri Medicorum Ordine summis in Medicina honoribus dignus iudicatus sis mox TIBI conferendis; mihi, qui tam amabilem nactus fui amicum, cuius de amore gloriari mihi licet. Amari enim cupio praecipuis ab iis, qui admirabili cum ingenio eximiaque eruditione perpolitio, miram morum suavitatem comitatemque coniunctam habent atque copulatam; inter quos autem TE esse, *Amicorum optime*, tum quibus TVA consuetudine ac familiaritate frui datum fuit, omnes tum eruditum TVVM scriptum inaugurale non testantur solum, sed fore etiam, ut in patriam redux factus aegrotorum multis adferas solatium praefagiunt atque emolumentum. Quod ut feliciter fiat Deus TIBI, cuius eximia benignitas praeclaris conatibus, & in miserorum salutem tendentibus abesse numquam solet, adsit, prosperaque valetudine in seram vsque senectutem frui iubeat, voto precorque. Cupio praeterea conservari TVVM erga me amorem, meritis quidem a me nullis, perpetua tamen cultum voluntate atque mira animi mei erga TE propensione, quam eandem semper, aut si modo ad eam accedere quid potest, quod ego tamen non existimo, maiorem fore TIBI sancte pollicor. Vale, vale iterum, mi *Amice suavissime*, TIBI que vehementer amat, praestare confucit. Dabam Halae ad Salam, pridie Nonar. Octobris c1810cc LXXVI.

D

VIRO



V I R O
 PRAENOBISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
 CHRISTOPHORO DETLEF HAHN
 AMICO SVO SVAVISSIMO

S. D. P.

AVGVSTVS CAROLVS KESSLER,
 ART. SAL. CVLT. OPPON.

Triennium est, AESTVMATISSIME HAHN, ex quo amicitiam tecum contrahendo probitate morum delectabar; nunc autem virtute ornatus, dulcissimos patriae repetere volens penates, tristitia amicorum percuis pectora. Cum vero ita superis visum sit, à virtute mastatus in patriam, de amore meo minime dubitans; nodum enim, quem per hocce temporis spatium amor inter nos plexuit, nec ipse Apollo soluet, sanctissime pollicor. Vale! Dabam in Acad. Fridericiana ad diem V. Octobris A. MDCCLXVI.

V I R O

V I R O
 PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
 DOMINO DOCTORANDO
 AMICO SVO EXOPTATISSIMO

S. P. D.

HENRICVS CLAVSEN,

ELENSEVRGO-HOLSATVS, I. C.

Quamquam, AMICORVM OPTIME, non longa inter nos fuerit consuetudo & familiaritas, dum primum hac in Academia Fridericiana TE cognoscere simulque amare coepi, attamen pectora nostra per vinculum amicitiae ita arctissime sunt coniuncta, vt nullius aetatis infortuniis dilacerari queant. Hodierna die TIBI honores doctorales propter TVAM eruditionem, Specimine academico proditam, conferuntur. Quid mihi, publice profidenti quanti TE faciam, potuisset hac exoptatissima occasione accidere iucundius? Humanitas TVA, qua semper in me vsus es, requirit, vt TUA publicam amicitiae nostrae proferam tesseram. Gratulor itaque TIBI de honoribus mox capeffendis. Gratulor amicis TVIS; gratulor & mihi de amico sincerissimo. DEVS ter optimus maximus TE in solatium aegrorantium multos conferuet annos; secundet res TVAS. Cacteram, cum simul mecum in patriam tendis, etiam atque etiam TE rogo, vt in posterum me quoque amicitia TVA digneris; me autem habebis amicum obseruantissimum fidelissimumque.

Vale & me amare perge. Dabam Halae d. IV. Octobris,

M DCCLXVI.

Mon-



Monſieur,

La ſincère amitié qui à regné entre nous, depuis que j'ai l'honneur de vous connoître, ne me permet pas d'être indifférent, ni de reſter dans le ſilence dans une occaſion auſſi ſolennelle que celle-ci. Souffrez donc, CHER AMI, que je vous témoigne par ces chétives lignes, la joie intime que je reſſens de Votre élévation à la dignité Doctorelle, & que je prenne part à tous les avantages que Votre habileté dans le noble Art de le guérifon doit vous procurer. Si le ſuccès ſeconde mes Vœux, vous ne manquerez pas d'être heureux & moi j'aurai ce que je deſire, puis-que vous connoiſſez les ſentimens de mon cœur pour vous & pour tout ce qui vous regarde. Mais au milieu de vos proſpérités, conſervez ſ'il vous plaît Votre précieule amitié à un Ami qui tâchera toujours de ſ'en rendre digne par tout ce qui eſt capable d'entretenir une ſi douce harmonie de nos cœurs & de nos eſprits. C'eſt la grace que vous demande aujourd'hui celui qui eſt de cœur & d'ame

Monſieur

à Halle
le 30. de Sept.
1766.

Votre très humble ſerviteur
& très ſincere ami

H. A. LANGE,

Candidat en Droits,
du Comté d'Oldenbourg.



Mon

00 A 6283


ULB Halle 3
002 828 154




SB

Retro ✓







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
PARALYSI
SINE NERVORVM ET ARTERIARVM
LAESIONE

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS
ET
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRAE PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MED. SENIORE ET REGIOR. ALVMN. EPHORO,
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. VI. OCTOBR. A. R. S. MDCCCXLVI.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CHRISTOPHORVS DETLEF HAHN

HADERSLEBIA-SLESVICENSIS.

HALAE MAGDEVVRG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAE.